puirgine dari nuptum non potest; hoc reliquum est si inficias ibit. testis mecum est anulus quem amiserat; postremo quando ego conscia mihi sum a me culpam esse hanc procul neque pretium neque rem ullam intercessisse illa aut me indignam geta experiar; GET quid istic accedo ut melius dicas; SOS tu quantum potes abi atque hegioni cognato huius rem enarrato omnem ordine; nam is nostro simulo fuit summus & nos coluit maxime; GET nam hercle alius nemo respicit nos; SOS propera tu mea canthara curre obstetricem arcesse ut cum opus sit ne in mora nobis siet;

DEMEA SENEX

demea audiens filium suum ctesiphonem participem fuisse rapine in haec verba prorupit

DEM disperii ctesiphonem audivi filium una adfuisse in raptione cum aeschino; id misero restat mihi mali si illum potest qui alicui rei est etiam ad nequitiam eum adducere; ubi ego illum quaeram credo abductum in ganeum aliquo persuasit ille inpurus sat scio sed eccum syrum ire video; hinc scibo iam ubi siet atque hercle hic de grege illo est; si me senserit eum quaeritare numquam dicet carnifex; non ostendam id me velle;

SYRUS SERUUS · DEMEA SENEX